

20.439

6  
Viernes, y Sabado á las 8 y á las 4



692  
Foll. 20. 439  
DISCEPTATIO PUBLICA

RELIGIONIS DOGMATA ALIQUA,  
SCHOLAE PLACITA NONNULLA,

SELECTASQUE

HISTORIAE ECCLESIAE PROPOSITIONES.

COMPLECTENS, EXANTLATOS ANNO UNO LABORES

HABENDA

A D. SABA HERNANDEZ DE PADILLA  
in Orcellensi Collegio Seminario Immaculatae  
Deiparae Sacrae Theologiae candidato.

*CUI PRAESES ADERIT*

D.<sup>R</sup> D. MARIANUS MARTINEZ  
In eodem Seminario Philosophiae olim, modo Sa-  
crae Theologiae Professor.

*Palaestra Oriol. Templ. SS. VV. Justae,  
& Rufinae.*

DIE 23 MENSIS JUNII ANNI MDCCLXXXI.



*Cum licentiis necessariis.*

---

Murciae : Apud VIDUAM PHILIPPI TERUEL:  
Via Lintearia.



DISCERNITIO PUBLICA

INSTITUTIONS FOR THE IMPROVEMENT OF THE  
SCHOOL SYSTEMS

REPORT

OF THE

COMMISSIONERS OF THE BOARD OF EDUCATION

NEW YORK

1892

PRINTED BY THE UNIVERSITY OF THE STATE OF NEW YORK

ALBANY: J. B. LIPPINCOTT & CO., 1892.

THE STATE OF NEW YORK

IN SENATE,

JANUARY 15, 1892.

REPORT

OF THE

COMMISSIONERS

OF THE BOARD OF EDUCATION

FOR THE

IMPROVEMENT OF THE

SCHOOL SYSTEMS

NEW YORK

DEI. VERBO

AETERNO. IMMENSO. CONSUBSTANTIALI

PER. QUOD. FACTA. SUNT. OMNIA

DEO. HOMINI

CHRISTO. JESU

NOVI. ISRAELIS

SALVATORI

DUCTORI

LEGISLATORI

PONTIFICI. SUMMO

PER. QUEM. REPARATA. SUNT. UNIVERSA

VIA. PATEFACTA. PARADISI

IMPLENDAE. LEGIS. COLLATA. GRATIA

HUMANA. DIVINIS. CONCILIATA

HAS. THEOLOGICAS. THESES

PUBLICICE. VINDICANDAS

L. A

D. O. C. Q

*SABAS HERNANDEZ DE PADILLA.*

THE NEW YORK


ADMITTED TO THE  
OFFICE OF THE  
DEPT. OF HEALTH  
AND MENTAL HYGIENE

NOV 11 1918  
RECEIVED  
DEPT. OF HEALTH  
AND MENTAL HYGIENE

RECEIVED  
DEPT. OF HEALTH  
AND MENTAL HYGIENE  
NOV 11 1918

RECEIVED  
DEPT. OF HEALTH  
AND MENTAL HYGIENE  
NOV 11 1918

RECEIVED  
DEPT. OF HEALTH  
AND MENTAL HYGIENE  
NOV 11 1918



# EXISTENTIA DEI, NATURA, & *Attributa.*

## DOGmaticAE, ET HISTORICAE PROPOSITIONES.

I. **D**ivis devovendum est teterrimum illud ad extremum usque impiorum hominum genus, qui Supremum Numen è medio tollere conati sunt nefario, atque inexpiabili sacrilegio. Hujus equidem existentia sano cuique adeo obviã est, ut nulla gens, immansueta licet, & fera hucusque extiterit, quae non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Ergo quantumcumque scelesti homines totis conentur lacertis, omnique pectoris robore adnitantur Divini Numinis cognitionem excutere, quantumvis rabido ore Deum se negare blasphement, numquam tamen votorum compotes evadent.

II. Divis quoque devovenda est Polytheorum stultitiã, qui puras, putosque homines, puras, putasque creaturas insulsa plane, & insana divinitate exornarunt. Noscimus

A

enim,

) 2 (

enim, noscuntque omnes Tertulliani adagium, *Deus si unus non est, non est.*

III Qui putant Enos fuisse superstitiosi Polytheismi auctorem labili fundamento nituntur.

IV Ab Hebraeorum gente non fuit exortus Polytheismus, neque illum Judaico populo Moyses praescripsit.

V Idololatria è posteris Cham originem ducit, & longe ante Moysen fuerunt *Di* gentium, non solum Numina naturalia, sed etiam animalia.

VI Manichaei duas summas, ac principes causas, unam ejuscumque boni, alteram malorum omnium effectricem statuentes, Polytheorum dementiam sunt imitati; Marcionitae etiam, aliique, qui non eundem Deum veteris, ac novi Testamenti auctorem esse contendunt. Nebulones hos omnes pari cum execratione rejicimus, ac reprobamus.

VII Marcion non tria, ut aliqui volunt, sed duo tantum statuit summa principia.

VIII. Haeresis Manichaei caepit innotescere in Perside anno *Æ. V. 277.* sub Aureliano, coalescere vero, ac propagari sub Probo, qui tantum biennio post suscepit imperium.

IX Est Deus simplex omnino, nec fas est aliquid, quod compositionem sonet, in eo admittere, seu ex quo ipse componatur, seu in cujus compositionem ipse tamquam pars veniat.

X Somniavit dubio procul David de Dinando, dum Deum primam Mundi materiam non erubuit appellare.

XI Pinguissimo huic errori affine valde est Benedicti Spinosae deliramentum de *unica Mundi substantia*, quod

ca-



caput est Systematis sui splendidissimis ineptiis consarcinati, ex quo tamquam ex lutulenta hara, tot pudenda Atheorum monstra prodire.

XII Quisquis Deum ipsum corporeum, seu humana praeditum forma putaverit, Audianorum, seu Antropomorphitarum supino detineatur errore.

XIII Hac in re accusatur Q. Septimius Florens Tertullianus, qui paulo liberius, quam decuisset in libris contra Praxeam, & Marcionem progressus est; sed acutissimum Scriptorem in stolido Antropomorphitarum errore non fuisse versatum, vel illum, si revera docuit, tandem ejurasse, evincere non erit operosum.

XIV Melito Asianus Sardensis Episcopus vix ab errore Antropomorphitarum potest excusari.

XV Salaminae Sanctissimus Antistes Epiphanius inter Antropomorphitas nullatenus est connumerandus.

XVI Nullo simplici vocabulo designari potest recondita Divina majestas, nisi prout mente nostra inadaequate concipitur; nec diversa nomina Dei aliud, quam varias intellectus nostri ignorantiae tenebris involuti exhibent perceptiones. Ineffabilis ergo est.

XVII Perfectissimus est Deus, omniumque rerum in se continet perfectiones; Ergo nec cum creaturis major, nec sine illis minor.

XVIII Injurius profecto Deo esset, qui ei summam bonitatem denegaret.

XIX Esse summum bonum per essentiam soli Deo convenit, sicut & infinitudo.

Im-

XX Immensitatem Creatori tribuant, necesse est, quotquot nolint Scripturae Sacrae, Sanctorumque Patrum testimoniis apertissimis reluctari: ubique igitur est secundum suam substantiam praesens.

XXI Immutabilem esse Deum affectionumque nescium constanter tenemus; idque ei uni convenire propugnamus.

XXII Gaudet Deus perfectissima aeternitate, quae nullo pacto creaturae potest competere.

XXIII Uniformis, & cujuscumque distinctionis in re expers Divinitas est; quare Gilbertum Porretanum, & Joachimum Abbatem Florensem, & stultos, & impios vere dixeris propter excogitatam ab ipsis inter perfectiones Divinas distinctionem, quemadmodum, & Gregorium Palamum, qui energiam, seu operationem Dei ab ejus substantia secundum rem distinxit.

#### SCHOLAE PROPOSITIONES.

I **Q**Uamquam Dei existentiae notitia facili negotio adinveniri possit, tamen non est nobis ingenita ejus notio: unde enuntiatio isthaec *Deus existit* per se nota est, minime quoad nos.

II Non per causam aliquam, sed ab effectis dumtaxat Deus humanis mentibus evidenter patefit.

III Argumentum illud, quod nobis aperit motorem primum stabilem, sine quo concipi nequeunt motus illi, quos in natura, quae per se iners est, videmus, publicum semper fuit, sensibile, splendidissimum, aptissimumque

que ad vincendos pervicaces, hebetioresque.

IV Argumentum aliud, quod nos velut manuducit, cogitque, ut fateamur esse causam primam rerum omnium creatricem, firmissimum quoque est, invictissimumque.

V Illud etiam, quod ex consideratione entium contingentium, & mutabilium nos erigit ad cognitionem entis necessario existentis, immutabilis, & aeterni, ineluctabile prorsus est.

VI Cetera, quae ens infinite perfectum, & Providorem, ac Governatorem summum suadent, talia profecto sunt, quae tantum stipitem non moveant. Tandemque sufficit Coeli, telluris rerumque, quae Coelis, terraque continentur, vel per transennam contemplatio demonstrandae Sapientiae, ac Omnipotentiae creatrici.

VII. Binae Renati Cartesii demonstrationes, quas ad revincendos Atheos ipse jactitat ineluctabiles, elumbes nobis videntur, fluxae, planeque vitreae.

VIII Nulli hominum rationis compoti permittitur, etiam ad breve tempus, Creatorem suum invincibiliter ignorare.

IX Dei naturam *physice* spectatam omnium perfectionum, & ornamentorum cumulum, quae in ipso reperiuntur, adpellamus.

X Si vero eam metaphysice consideres, *ens à se* parum apte dixeris.

XI Unicus ergo perfectissimus intelligendi actus per se subsistens Dei naturam metaphysicam integre exprimit.

XII Distinctionem formalem ex natura rei, quae Scoti  
es-

) 6 (

esse dicitur , ab essentia , & attributis Dei longe volumus abesse.

XIII Distinctionem rationis nemo sanae mentis debet à Dei natura , & à Divinis Personis respectu ejusdem naturae , atque à proprietatibus amovere.

XIV Divina attributa à se invicem , & ab essentia sola distinctione , quae dicitur penes explicitum , implicitumque discriminantur ; quaeque duobus innititur , nobilitate naturae Divinae , & imbecillitate rationis humanae.

### *DEUS QUALITER VIDENDUS.*

#### *DOGMA TICA E ET HISTORICAE PROPOSITIONES.*

I **S**I mentem creatam nativis viribus Deum clare intueri posse dicas Anomaeis, Beguardisque stupidissimis absque dubio consenties.

II Potest intellectus creatus superno suffultus lumine clara Dei visione donari ; contra quidquid mentiantur Armeni , ac Palamitae.

III. Non horum conspurcatur errore Chrysostomus : parumque sibi consuluit Vazquezius dum perditissimos haereticos à labe purgare , eloquentissimum vero Praesulem in deteriorem partem trahere studuit.

IV Ut Chrysostomus , ita Theodoretus in eodem argumento à quibusdam immerito erroris insimulatur.

V Neque Sanctus Hieronymus visionem divinitatis in se credidit esse impossibilem.

VI Ambrosius , Isidorus , Basilius , Epiphanius , uterque

que

que Cyrillus, Gregorius Nyssenus, Theophylactus, atque Euthymius solam comprehensionem, plenissimam, nullisque limitibus circumscriptam infinitae Deitatis notitiam creaturis denegarunt.

VII Mens creata lumine gloriae donetur necesse est, ut ad beatissimam usque Dei visionem pertingere valeat.

VIII Certissima, & indubitata res est, singulis justis parem omnino gloriam non reservari.

IX Beati videntes Deum, ipsum nequaquam comprehendunt.

SCHOLAE PROPOSITIONES.

I Corporalibus oculis Deum esse invisibilem universa fatetur Theologorum caterva: Quid si supernum lumen illis adfulgeat? Neque omnino ita.

II Hac in re dubius ancepsque fuit M. P. Aug. ? fidenter pronuntiamus, perspicacissimae mentis Patrem nullibi adseveranter contrariam vulgari opinioni sententiam tradidisse.

III Utrum post resurrectionem Beatorum corpora futura sint spiritualia, & oculi alterius ab istis naturae, quaestio est à praecedenti diversa; hanc S. Pater prudentissime non definivit.

IV Tametsi S. Augustinus noluit definire quaestionem de corpore spirituali, quam aliqui Catholici eo tempore propugnabant, demonstrat tamen accurate se hanc nequaquam probare.

Im.

V. Impar est humana mens, ut vel possibilitatem divinae visionis ratione naturali evidenter ostendat.

VI. Homini puro mortalem degenti vitam nequit ex communi lege clara Dei visio concedi.

VII. Verum à sensibus carnis abstractus, rerum praetermisso communi cursu, potest divina ope ad obtutum divinae naturae pervenire.

VIII. Hac peculiari praerogativa donatos fuisse Moysen, Divumque Paulum probabile reputamus.

IX. Utrumque speciei genus impressae videlicet, & expressae à visione beata longissime abest; essentia namque Divina utriusque speciei, semotis imperfectionibus, munera gerit.

X. Beatorum spirituum contuitus, non ab intellectu eorumdem, sed à diversitate luminis gloriae suam habet inaequalitatem.

XI. Neque per absolutam Dei potentiam accidet, ut Beatorum mentes ad absolutam Dei comprehensionem evahantur. Facessat Vazquezius, qui hac in re vulgarem Theologorum sectari sententiam, visus est ineptum ducere, ac putidum.

XII. Gaudebunt in Coelo Beati conspectu naturae, attributorum, & Personarum.

XIII. Fieri nequaquam potest, etiam Dei operante dextera, ut divina natura sine attributis, aut una Persona sine alia videatur.

XIV. Non vident tamen Beati quae intra Divinae potentiae limites delitescunt possibilis.

Cons.

XV Conspiciunt autem inter creaturas praeteritas, praesentes, & futuras, eas, quae speciatim ad ipsos spectant.

*CARITAS VIRTUS THEOLOGICA.*

DOG MAT I CA E P R O P O S I T I O N E S.

I **C**aritas non est Spiritus S. persona, sed ipsius donum, ac munus in cordibus nostris diffusum.

II Quantacumque justus, vitam agens mortalem, caritate exornetur, numquam tamen terminum attinget, ultra quem progredi non valeat.

III Mentiuntur summopere haeretici, dum asserunt, caritatem semel habitam amitti non posse. Fatendum namque est, perire illam funditus, simul atque anima lethale scelus perpetrarit.

IV Hominem aeternae mercedis intuitu Deum diligere, & ipsi quoque servire posse, Catholica Fides fateri jubet.

V Qui Deum actu interno amandum negat, primum, potissimumque caritatis praeceptum in Scripturis expressum, in nihilum redigere conatur.

VI Saepissime obligat in vita, quandoque per se, quandoque ex accidenti.

VII Mortalis criminis reus esset, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret.

VIII Improbabile prorsus est, ne singulis quidem rigore quinquennis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.

B

SCHO.

## SCHOLAE PROPOSITIONES.

I **C**aritas qua Deus propter se, & proximus propter Deum diligitur, veram, suavemque parit ipsum inter, & hominem amicitiam.

II. Objectum ejus formale *quo* est ipsa Dei bonitas, quae in se, & propter se amari nata est, supernoque lumine cognosci.

III. Bonitas Divina quamcumque pervadens Dei perfectionem, constituit objectum formale *quod* caritatis.

IV. Eadem specie caritatis Deum diligimus, & proximum, Deum scilicet propter se, proximum propter Deum.

V. Caritas ceteras virtutes nobilitate antecellit, non solum in esse moris, verum etiam in esse physico.

VI. Quolibet actu caritatis novum meritum de condigno, novumque jus sibi comparat homo ad augmentum gratiae, caritatis, & gloriae.

VII. Habitualis caritas nullo pacto directe diminui potest, optime tamen indirecte.

VIII. Caritas hominem obstringit, ut nedum se, sed corpus suum amore prosequatur, uti partem cui beandae operam, industriamque omnem conferre debet.

IX. Angeli ex caritate sunt nobis diligendi. Peccatores etiam quoad naturam tantum, nam quoad culpam, pertinaci odio prosequendi sunt.

X. Caritate quoque jubemur inimicos amore complecti. Scilicet, nihil detrimenti à nobis illis nec optandum, nec de-



derivandum; imò praesto esse debemus, ut eorum sive spiritali, sive temporali vitae, dum opus fuerit consulamus.

XI Idem officium erga inimicos praescriptum, servatumque agnoscimus in lege veteri.

XII Communia dilectionis officia inimicis exhibere tenemur; cum externa salutationum, hortationum, eleemosynarum; tum interna affectus, compassionis, & precum.

XIII Deus ex caritate diligendus est super omnia, & prae omnibus *objective*, & *appretiative*: hinc fluit magis esse diligendum, quam proximum, nosque ipsos.

XIV Ab omni tamen peccato erit immunis, qui sive naturali, sive supernaturali amore intensiori diligit proximum, quam Deum.

XV Proximus majori prae proprio corpore caritate prosequendus est. Addam. Fundenda vita est, si aeternae illius saluti gravissime periclitanti opem ferre possimus, ipsiusque liberandae spes affulserit.

XVI In necessitate tamen gravi id solum praestare tenentur ii, quos animarum cura praecipuo jure tangit, praeter quos, hujusmodi discrimen generatim ligat neminem.

XVII Nobis secundum carnem propinquiores sunt, ceteris paribus, intensius prae aliis diligendi.

XVIII Secundum carnem nobis conjuncti in his, quae ad ipsam pertinent naturam majori dilectione sunt prosequendi, quam alii aliter nobis conjuncti.

XIX Amici dilectio secundum se, & absolute considerata melior est dilectione inimici.

XX Homo tenetur aliquoties actiones suas referre relatione-

tio-

tionem virtuali explicita in Deum finem ultimum sive naturalem, sive supernaturalem, scilicet, modo quo ipsum cognoscit, aut cognoscere potest.

XXI Opus ab homine deliberate elicitum, ut vitio, ac pravitate careat, non postulat in Deum dirigi relatione virtuali explicita, sed implicita solum. Apertius. Fieri non debet opus illud virtute, & influxu relationis actualis in Deum, si qua praecesserit; sed sat est (modo non urgeat praeceptum amandi) elici actionem honestam ex objecto, nullaque sive finis, sive alterius cujuslibet circumstantiae irrectitudine depravatam; ita ut operans rationis, & legis naturalis normam sequutus, sponte se illius Auctori submittat, & dum amplectitur honestatem eliciendi operis, censeatur implicitè Deum totius honestatis fontem diligere, à quo singularis illa bonitas profluxit.

## D E U S I N C A R N A T U S .

### D O G M A T I C A E , E T H I S T O R I C A E P R O P O S I T I O N E S .

I **M**Esias Sacris Prophetarum oraculis praenuntiat<sup>us</sup> futurus erat non homo purus, sed Deus in assumpta hominis natura cum hominibus conversans.

II Frustra pervicaces Judaei promissi Patribus suis Liberatoris adventum praestolantur; advenerunt enim jam pridem felicissima illa tempora, quibus pax sempiterna piissimi Reparatoris ortu Adamiticae Stirpi exuli, atque miserimae illuxit.

III Splendidissimum Patriarchae Jacobi morientis Va-  
ti-

ticinium : *Non auferetur sceptrum de Juda , & Dux de Femore ejus , cet.* adamussim in Christi Domini nativitate fuit adimpletum. Verum illa est Judaeorum pervicacia, atque obstinatio, ut quo nitidius Oraculum est, eo petulantius, audaciusque cavillis, ac tricis nebulas illi offundant, ne ullum inde Catholicae Fidei praesidium repetamus.

IV In Jacobea praedictione nomine *Judae* non peculiarem Judae Tribum, sed totam promiscue Judaicam gentem designatam intellige suprema auctoritate potituram, donec demissus Coelo Messias prodiret in lucem.

V Herodes, quo Judaeae Sceptrum obtinente natus est Christus, Judaeus genere non fuit, sed Religione duntaxat.

VI Danielis Prophetia, quae habetur cap. 9. invictissime demonstratur Messiam Mundo jam dudum illuxisse, eumque non alium esse quam Christum Jesum.

VII Messias à sacris Vatibus praenuntiatus certissime nasciturus erat stante adhuc Salomonis Templo à Zorobabele instaurato.

VIII Recentiores Hebraei in eam qua toto Orbe premuntur temporalem servitutum oculos intendentes, eum tandem oriturum sibi Messiam opinantur, qui miseram Gentem armata manu, ac stricto gladio vindicet, densaque Gentibus exteris strage illata, optatam diu suis libertatem restituat : at inaniter sibi blandiuntur : Messias enim Veteris Testamenti figuris adumbratus Vir humilis maxime, atque pacificus erat futurus.

Mes-

IX. Messias Vatum penicillo delineatus, ac tamquam ad vivum expressus morti, & quidem turpissimae erat addicendus Impiorum circumventionem ac malis artibus, ut effuso sanguine suo hominum noxas expiaret.

X. Christus à Moyse Synagogae praedictus non Judaeos modo ( quae coeca illorum gloriatio est ), verum etiam Gentiles, atque istos maxime., erat advocaturus, Idololatriamque toto Orbe deleturus. Jesus Mariae filius primas illas veri Messiae partes feliciter adimplevit.

XI. Leviticum Legis veteris Sacerdotium, licet à Deo Optimo Maximo solemniter institutum, nequaquam erat perenniter duraturum, sed à promisso Messia rescindendum, & abolendum. Jesus noster illud ablegavit, novumque Sacerdotii, ac Sacrificii genus induxit.

XII. Mosaica Lex, tametsi miraculis, ac prodigiis confirmata, ad orientem Messia obliterari, antiquari, in novam, uno verbo dicam, commutari debebat; quod à Jesu Nazareno factitatum esse Judaei non sine stomacho conqueruntur.

XIII. De Virgine illibata nasciturum Messiam Sacra Oracula pronuntiarunt: & hoc etiam expletum fuisse in Jesu nostro tam certum est, quam quod certissimum.

XIV. Nihil in veteri Testamento frequentius inculcatum, quam promissum Messiam è Tribu Juda nasciturum, ac speciatim è Davidica Stirpe inter omnes ejusdem Tribus nobilissima: Christus Dominus ex eadem Tribu, & Familia originem suam derivavit.

XV. Stemma genealogicum Christi Domini Mathaeus,  
&

& Lucas contexunt. At in quibusdam conveniunt, in aliis vero discrepare, & quasi data opera se se mutuo intestina conflictatione collidere videntur. Haec apparens discrepantia veterum Scriptorum ab ipsis Ecclesiae incunabulis vehementer torsit, & tantum non oppressit ingenia, summum etiamnum gravissimis Theologis facessit negotium, amplamque suppeditat disputandi materiam. Sed ad conciliandum utrumque Evangelistam nulla ratio nobis videtur efficacior, expeditiorve ea, quam tradit Julius Africanus antiquissimus Auctor in epistola ad Aristidem.

XVI Gentiles ipsi Christiano nomini inimici fidei nostrae dederunt suffragium, atque secretiori Divini Numinis afflatu factum est, ut Christi Divinitas ab illorum Vatribus. Sybillis scilicet, testimonium acceperit. Tametsi igitur ii non simus, qui criterio minus accurato excipere velimus omnia, quae sub Sybillarum nomine carmina venditantur; ea tamen velut spuria amandare, atque contemnere jure non possumus, quae à priscis olim Christianis, primisque Ecclesiae Patribus in Religionis Christianae commendationem fuere laudata.

XVII Splendidissimum Flavii Josephi de Christo Jesu testimonium genuinum omnino, atque indubitatum existimamus, nec pia, ut aliqui volunt, Christianorum fraude illius libris assutum.

XVIII Humanae Divinaeque naturae indissolubilem nexum, quem sacer Theologorum coetus unionem hypostaticam appellat, irritò licet conatu, evertere curarunt egressa ab Orco flagitiorum monstra, perditissimi Nestoriani, quorum

rum pestilentissimam haeresim execrando , unam tantum, eandemque Divinam statuimus in Christo Personam.

XIX Beata Virgo Maria recte appellatur Deipara, quoniam in ea , & ex ea Deus Verbum factum est caro, idemque carni substantialiter conjunctum genuit , & emisit in lucem.

XX Nullos tota retro antiquitate Haereticos reperies, qui insana Paradoxa majoribus absurdis implicarint , ut plane in reprobum sensum traditi prae ceteris videantur Eutychiani , non modo sacris Litteris , Patribusque contrarii ; verum etiam primis humanae Philosophiae principiis , ac sibi ipsis palam , aperteque repugnantes : merito proinde ab Ecclesia Catholica damnati quod unam in Christo naturam effutirent.

XXI Abeant in malam crucem Heterodoxi illi Vindictes Nestorii , qui hunc optime sensisse de Christi Divinitate contendunt : Nestorius enim haereticus verus fuit. Non diffitemur tamen verba sua ita dextere composuisse , loquendi rationes , ac modos ita temperasse , ut eum non pauci Catholicum arbitrarentur , dum haereseos luto haereret quam maxime.

XXII Adversus Nestorianos coacta est Synodus Ephesina anno 431. Coelestini I. Romani Pontificis nutu , ac Theodosii junioris Divali.

XXIII Sanctus Cyrillus Ephesinae Synodo praefuit sub ejus initium , non praerogativa Sedis Alexandrinae, sed tamquam Coelestini Legatus.

XXIV Etiam post adventum Arcadii , Proiecti , & Phi-

Philippi, quos Coelestinus missit ad Synodum, ob delegatam sibi Apostolicae Sedis auctoritatem principem locum obtinuit Cyrillus.

XXV Egregiam in oppugnanda haeresi Nestoriana operam collocavit sanctissimus Alexandrinae Ecclesiae Episcopus Cyrillus, cujus duodecim Anathematismi limpidissimi omnino sunt, & Apollinistarum errore neutiquam conspurcati.

XXVI Joannes Antiochenus Pseudosynodum coegit, Cyrillum, & Memnonem deponendos esse definiit, Cyrili reproboavit Anathematismos. At id fecit deceptus errore facti, numquam Catholico dogmate labefactato.

XXVII Eutychniani cum suo Duce Eutychete tot inter sese dissidiis fuere commissi, ut vix unum alteri consentientem invenias: In hoc quidem conspirant universi, quod duae in Christo ante unionem Naturae fuerint, post unionem autem unica. At qua sorte, quove pacto haec ex duabus coaluerit, non uno, eodemque modo definiunt.

XXVIII Eutychnianam haeresim proscripsit Concilium Chalcedonense à Leone Romano Pontifice convocatum.

XXIX Huic Concilio idem Pontifex praefuit per suos Legatos Paschasium Lylibaetanum, Lucentium Asculanum Episcopum, & Bonifacium Presbyterum, quibus adjunxit Julianum Coensem, saltem ut consiliorum participem.

XXX Permulta sunt, eaque non levia momenta, quibus Theodoretus Cyrensis Episcopi fides in suspicionem

venit, ac videtur Nestoriano dogmate labefactata: ea tamen omnia possunt benigna aliqua interpretatione excusari.

XXXI Ut à labe, & suspicione haereseos plene se purgaret Theodoretus haeresim, atque hujus auctorem Nestorium damnare in Synodo Chalcedonensi jure coactus est.

XXXII Homiliam elegantissimam more suo habuit Clemens XI. Pont. Max. in sacro Purpuratorum Patrum Senatu solempni die Dominicae Resurrectionis ann. 1702.; quam pseudocritici cujusdam importuna dicacitas haeresis Eutychnae atra litura notavit. ; At quam inscite! ; quam impudenter! Praefatae enim orationis sensus apertissimus est, ponderosus, Patrum undique auctoritate munitus, nec unum fere verbum ibidem occurrit, quod prespicuo simul mirabilique artificio non sit è sanctorum libris depromptum.

XXXIII Bellum Christi humanitati intulerunt Gnostici scientia tumidi, ei tribuentes aereum, & umbratile corpus; quorum execranda haeresis auctoritate divinarum Scripturarum, Patrum omnium consensu, & multiplici, ac manifesta ratione refutatur.

XXXIV Verbum corpus, non coelesti quadam materia subtili compactum, adsumpsit, sed humanum, verèque in utero Virginis efformatum.

XXXV Adsumpsit Verbum Divinum partem humanae naturae nobiliorem, rationalem nimirum animam; quod frustra ausi sunt denegare prodeuntes quidam ex Ariano-

rum



rum palaestris sub Apollinaris Laodicensis vexillis, homines iniquissimi, ac perditissimi.

XXXVI Adsumpsit etiam Dei Filius ratiocinantis animae facultates, intellectum scilicet, & voluntatem.

Ipse nulla, sive actuali, sive originali culpa fuit coinquinatus.

XXXVII Fides Catholica cogit nos admittere in Christo idiomatum communicationem.

XXXVIII Duae sunt in Christo Domino voluntates, Divina scilicet, & humana.

XXXIX Fatendum est id quod consequens; duas nempe reperiri in eodem operationes, nec posse unam dumtaxat propugnari.

XL Negandum tamen est, duas illas voluntates fuisse sibi invicem contrarias.

XLI Fuit vero in Christo liberum arbitrium, & à vi cogente, & à trahente necessitate.

XLII Macharius Antiochenus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus unam reapse in Christo voluntatem, & operationem propugnarunt; propterea ex hujus erroris nomenclatura Monothelitae nuncupati. Non ergo audiendus Vazquezius, qui haereticos homines ab errore purgare satagens, Divum Thomam, ceterosque clarissimos Scholae Viros haeresis Monotheliticae veluti ignaros traducere non erubuit.

XLIII Concilium Generale VI. congregatum fuit auctoritate Agathonis Papae promovente Imperatore piissimo Constantino Pogonato.

Prae-

XLIV Praefuerunt huic Concilio Agathonis nomine Theodorus , & Georgius Praesbyteri , idem cum eis Joanne Diacono munus obeunte.

XLV Interfuit & omnibus fere actionibus Imperator, non ut Judicem , sed ut defensorem ageret.

XLVI Minime adhaerere possumus Eminentissimo Animalium Parenti Baronio , qui putat , Honorium non fuisse damnatum in VI. Synodo Generali.

XLVII Honorius in praefata Synodo anathemate percussus est , non quod unicam in Christo voluntatem , & operationem docuisset , aut de ejus Orthodoxia dubitaretur , sed ideo tantum , quod unicam in Christo voluntatem docentibus , impensius , quam par fuisset , faverit , in his coercendis negligens fuerit , haeresimque Monothelitarum latius disseminandi , silentio suo causae Fidei prorsus noxio opportunitatem eis suppeditaverit.

XLVIII Deus homo Christus vere , ac propriè suis pro nobis operibus meruit.

XLIX Christus Dominus eo fine pretiosissimum sanguinem suum fudit , cruci suffixus fuit , mortemque teterrimam pertulit , ut tamquam vera hostia , & sacrificium pro peccatis nostris Deo sponte immolatum , nos à peccato , Doemonisque captivitate vere redimeret , Aeterno Patri reconciliaret , tandemque ut deleret delictorum nostrorum chirographum.

L Cum redemptio generis humani contigerit pretio oblato , non fuit peracta dumtaxat Domini Jesu praedicatione , & exemplo.

Chris-

LI Christus vere Sacerdos fuit, & hostia simul pro peccatis nostris oblata.

LII Sacerdotium Christi aeternum est, & secundum ordinem Melchisedech.

LIII Fide certum est, Christum Dominum adorandum esse cultu latria.

LIV Divinitas Christi, ejusque sacratissima humanitas diversis non sunt adorationibus venerandae, sed una, eademque, nimirum *latria*.

LV Pium, laudisque plenum opus est Sacrosanctis Christi, ac Sanctorum Imaginibus meritum deferre cultum, & honorem. Qua positione Iconomachos homines scilicet ad interturbandam Ecclesiae pacem natos, exsufflamus.

LVI Imaginum Dei, & Angelorum cultum aequè pium, ac laudabilem esse propugnamus.

LVII Cruci contactu corporis Christi consecratae, divinoque ipsius purpuratae sanguine, item illi, quae ad ejus similitudinem solet effingi, honorem, & adorationem impendere debemus.

LVIII Reliquiæ sanctorum cultum etiam, ac venerationem promerentur.

LIX Iconomachorum haeresis jugulata, atque confossa, est in VII. Synodo Generali; hujus definitioni circa cultum Imaginibus exhibendum, Francofordiensis Synodi Decreta cohaerent quammaxime.

## SCHOLAE PROPOSITIONES.

I **E**Tsi rationis nervos exferant Ethnici quantum valeant, nusquam mirandum Incarnationis opus fieri non potuisse comprobabunt.

II. Verbum Dei factum carnem petitis à Christi doctrina, et à Christiana Religione argumentis possumus quidem evincere; sed ipsius mysterii altitudinem obviis humanisque ratiocinationibus *positivo*, ut appellant, argumento demonstrare non valemus.

III Incarnatio Verbi Angelis, hominibus, verbo toti Universo congruentissima fuit? Numquid & Deo? id utique adserimus.

IV Conveniens fuit ut neque ante, neque statim post Adae lapsum, neque in Mundi interitu Aeternum Verbum humanam indueret naturam.

V Si rem per sese spectemus, ac seposita redimendi hominis, justaeque satisfactionis exigendae voluntate, Deus nulla necessitate factus est homo.

VI Ad exhibendam Deo dignam pro peccatis hominum solutionem ita necesse fuit Dei Filium hominem fieri, ut hominum nemo quibuslibet gratiae donis cumulatus, dignum Divinae Majestati pensum ad sua, alienaque delicta exhaurienda, rependere potuerit.

VII At attenta peccati venialis turpitudine, potest quilibet homo justus pro illo satisfacere.

VIII Deus usque adeo peccati delendi, atque redimen-

mendi hominis gratia, Verbum suum futurum hominem statuit, ut nullo prorsus modo, ac nec impassibili quidem in carne venisset, si numquam Protoparens peccasset, & primaevam innocentiam exuisset.

IX Venit Christus in Mundum, ut pretioso sanguine suo originalis, & actualis culpae maculam lavaret; illius tamen causa praecipue venit.

X Christus est Persona composita ex duabus naturis, tamquam ex pluribus distinctis, & invicem unitis.

XI Unionem hypostaticam adpellamus substantialem, naturalem, omnium maximam, & perpetuam, atque indissolubilem.

XII Ab illorum Theologorum opinione recedimus, qui cum Dominicam Incarnationem praeviis Christi Domini operibus obtineri non potuisse fateantur (siquidem hujusmodi nulla fuerunt) eo demum se conferunt, ut actibus Incarnationem consequentibus Christum Incarnationem ipsam promeritum dicant.

XIII Nullum meritum de condigno potuit in operibus aut veterum Patrum, aut Virginis intemeratę inveniri, cui responderet eximium, amplissimumque Incarnationis beneficium.

XIV At si loquamur de merito de congruo, tam Beata Virginem, quam Patriarchas Incarnationem Divini Verbi promeruisse fatemur.

XV Tota Trinitas Incarnationem operata est, nec creaturarum ulla tantum opus valet efficere.

Bea-

XVI Beata Virgo non fuit instrumentalis causa conjunctionis humanitatis ad Verbum.

XVII Ita proprium jus est Personae Divinae alienam naturam terminare, ut id creatae ulli personae nullo pacto competere possit.

XVIII Verbum Patris in singularitate Personae proxime; communi, & absoluta subsistentia remote, humanam naturam sibi copulavit.

XIX Eandem carnem, quam Filius adsumpsit, potuerunt etiam adsumere reliquae Sacrosanctae Trinitatis Personae.

XX Potuit etiam eadem Divina Persona adsumere plures naturas.

XXI Naturam humanam prae ceteris valde congruenter Deus sibi copulavit, adsumere vero quamcumque naturam creatam non fuit impossibile.

XXII Verbum Divinum verum, ac naturalem accepit sanguinem, sibi que hypostatice univit.

XXIII Animam, corpus, integram humanitatem, eodem temporis momento, adsumpsit Aeterni Patris Filius.

XXIV Beatissima Christi anima per gratiam, ut ajunt, substantialem unionis vere redditur Deo grata, perfectamque ab eadem obtinet sanctitatem.

XXV Non sanctificatur humana Christi natura per Verbi personalitatem, qua *personalitas est*, sed ut Divinitatem secum adducit.

XXVI Ornata est Anima Christi habituali gratia, quin haec illum Filium Dei adoptivum constituerit.

Crea-

XXVII Creatam hanc gratiam à primo habuit conceptionis instanti ; ast unionis hypostaticae proprietas physica non debet appellari.

XXVIII Virtutes omnes supernaturales cumulatissime exornarunt animam Christi, Fide, Spe, & Poenitentia demptis ; neque his carere virtutibus fuit in illo perfectionis defectus.

XXIX Fuerunt & in Christo virtutes cunctae naturales, quae per se adquisibiles dicuntur.

XXX Etiam super animam Christi omnia Dona effudit Spiritus Sanctus sine mensura.

XXXI Gratiae, quae gratis datae nuncupantur ; omnes fuerunt in animo Christi amico foedere copulatae.

XXXII Abundavit anima Christi omni plenitudine gratiae.

XXXIII Nobis persuasum est gratiam illam divinitus intendi, augerique potuisse.

XXXIV Christus, etiam spectata natura humana prout in Persona Verbi subsistit, perpetuo retinet dignitatem capitis Ecclesiae.

XXXV Christus est actu caput eorum omnium, qui fidem supernaturalem participant, etiamsi adoptione filiorum Dei sint destituti.

XXXVI Haereticos quoscumque, vel tantum occultos à numero membrorum Christi penitus excludimus.

XXXVII Innocentissimus gratiae originalis status, à quo Protoparentes nostri misere exciderunt, minime à Christo ut capite profluxit.

D

Si

XXXVIII Si qualitates capitis consideres , dubio procul Christum Dominum verum, propriumque appellabis caput Angelorum.

XXXIX Minime adsentior iis , qui putant ex Christi merito omnia prorsus in Angelos gratiae , & gloriae munera derivasse ; manavit utique ex eo in nobilissimos Spiritus gratia , sed accidentalis tantum , non essentialis.

XL Sciscitanti à qua gratia proficiscatur dignitas capitis in Christo , à gratia reponam habituali.

XLI Habuit in hac mortali vita Christi anima Beatorum scientiam , nec per speculum , & in enigmate , sed facie ad faciem ipsam intuitus est Divinitatem.

XLII Et quidem à primo suae conceptionis instanti hac scientia Redemptor noster fuit exornatus.

XLIII Videt anima Christi naturam Divinam clarius quam quaelibet creatura , eam tamen non comprehendit, immo est impossibile.

XLIV Per scientiam beatam cognovit in Verbo anima Christi , praeterita , praesentia , futura cujuslibet ordinis omnia ; non vero possibilia cuncta.

XLV Beatorum scientiam in anima Christi scientia infusa , eaque perfectissima , fuit comitata.

XLVI Ea Christus cognovit naturalia cuncta , & supernaturalia : igitur & singulas cogitationes , etiam secretiores , penetravit.

XLVII Hanc praeter scientiam infusam , fuit in Christo scientia experimentalis usu , atque exercitatione comparata.

Chris-



XLVIII Christus in ea scientia profecit, nihil tamen ab Angelo, vel ab homine didicit.

XLIX Concessa fuit humanitati Christi excellentissima virtus operandi; omnipotentiam autem habuisse, aut habere potuisse, negamus.

L Jesu Domini humanitas, seu in terris degens, seu Coelis adsistens est, & fuit physica instrumentalis causa gratiae, & miraculorum.

LI Nihil Christus voluit voluntate absoluta per aliquem adimplendum, quod non fuerit factum.

LII Christus non est dedignatus ad opus redemptionis perficiendum carnis peccatricis defectus adsumere, iis exceptis, qui vitiosi sunt, & qui non communem naturam consequuntur, sed peculiarem secundarum causarum deficientiam.

LIII Sola unio hypostatica sufficiebat, ut Dominum Jesum Christum redderet expertem non solum cujusque criminis, sed etiam peccandi potentiae.

LIV Concupiscentia, seu peccati fomes, sive eam in actu primo, sive in secundo consideres, nec fuit, nec absolute potuit in Christo reperiri.

LV Anima Christi revera fuit passionis capax, passionisque suscepit.

LVI Verus fuit in Christo sensibilis dolor; habuit praeterea tristitiam, iram, timoremque.

LVII Enuntiationes hae *Deus est Homo, Homo est Deus*, verae sunt reapse, ac etiam propriae.

LVIII Vera est haec propositio, *Deus factus est Homo*

mo : haec vero falsa, *Homo factus est Deus.*

LIX Hanc propositionem *Christus est creatura* usurpare non debemus, ne videamur cum haereticis fovere errorem, sermonisque consuetudinem.

LX Congruum quoque est ab istiusmodi enuntiatione abstinere, *Christus est homo Dominicus.*

LXI Unus, & unum dicendus est Christus, haud tamen duo.

LXII Etsi duae sint<sup>in</sup> Christo naturae, una nihilominus est existentia, Verbi scilicet.

LXIII Fuit impositum Christo Domino absolutum, & obligans moriendi praeceptum, nedum mortem ipsam attingens, sed & mortis quamlibet circumstantiam.

LXIV Hoc stante praecepto, summa stante Christi impeccabilitate, liberrime mortem subiit, Patrisque iussa servavit.

LXV Meruit Christus à primo suae conceptionis instanti, totoque vitae decursu.

LXVI Meruit sibimet Dominus Jesus gloriam corporis, nominis exaltationem, cultum populorum, creaturarum omnium obsequium, daemonum subjectionem, & Ecclesiae suae firmitatem, atque incrementum.

LXVII Nusquam autem evinces, sibi gratiam habitualem, aut essentialem gloriam promeruisse.

LXVIII Hominibus redemptionem, remissionem peccatorum, omniaque gratiarum munera, quae justificationem praecedunt, vel subsequuntur, Christus suis meritis impetravit.

An-

LXIX Angelis vero gratias dumtaxat accidentales pro-  
meruit, non gratiam, & gloriam primariam.

LXX Satisfactionem à piissimo Jesu pro noxis homi-  
num exsolutam, non modo externo Dei acceptantis favo-  
re, grataque ratihabitione sufficientem existimamus, sed  
& ipsa quoque interna, congenitaque dignitate, atque  
valore.

LXXI Quin immo non aequum dumtaxat à Christo so-  
lutum pensum profiteamur, verum & superabundans, ac  
morali aestimatione simpliciter, ut Schola loquitur, in-  
finitum.

LXXII Christus Dominus ex rigore justitiae, ac se-  
cundum stricti juris apices, pro peccatis hominum of-  
fenso Deo satisfecit.

LXXIII Jesus Christus, ut homo vere servus Dei est  
servitute naturali.

LXXIV Nihil impedit quin Christus etiamnum oret  
pro nobis in Patris dextera collocatus.

LXXV Quaelibet Christi oratio absoluta, atque ex  
voluntate regimine rationis, directa proficiscens, à Pa-  
tre fuit exaudita.

LXXVI Christus Jesus etiam quatenus homo est non  
est Filius Dei adoptivus adpellandus.

LXXVII Felix Urgellitanus Antistes, & Elipandus  
Archiepiscopus Toletanus Christum esse filium adoptatio-  
ne in sensu Nestoriano propugnarunt.

LXXVIII Christus ut homo praedestinatus est ad fi-  
liationem Dei naturalem.

Prae-

LXXIX Praedestinatio Christi causa est exemplaris, finalis, & meritoria nostrae praedestinationis.

LXXX Si humanitatem Christi per mentem à Verbo præscindas, poteris eam cultu inferiori ob creatas ejus perfectiones adorare.

LXXXI Prout diversa ratione sacras Imagines consideres, æquali, aut minori adoratione, ac prototypus, erunt dignæ.

LXXXII Licet excellentissima sit almae Deiparae dignitas, tamen patriæ cultu non est adoranda.

Atque haec est concertatio nostra praepostera forsitan, & incondita, expleta tamen omnibus suis partibus. Eam tibi, benevolentissime Lector, libenter proponimus: hisque, qui aliena carpunt, & rodunt non proferimus. Ecclesiae Catholicae humiliter subjicimus, retractaturi si quae protulimus minus cautè; & pro ejus fide, ac doctrina, lingua, calamo, sanguine pugnaturi.

*Vt. Joseph, Epus. Orcel.*

*Vt. D. Josephus Emmanuel  
Balaguer, Cens. Reg.*

*Vt. D. D. Salvator Puche,  
Stud. Reg. & Rector.*



